



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

Sermo IV. Ædificium Boni Exempli Adoptivum & Adoptatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

S E R M O I V.

ÆDIFICIUM BONI EXEMPLI
ADOPTIVUM, & ADOPTATUM.

ARTICULUS I.

*Quod-nam sit, & Quomodo extruatur
Ædificium boni exempli.*



UARTUM Ædificium, ad quod erigen-
dum firmandumque diligentem ope-
ram navat Architectus Christianus Tro-
pologicus; nominetur BONI EXEMPLI:
Illud enim summopere curandum Sa-
pienti, ut nihil verbo, gestu; aut opere exterius molia-
tur, quod si in aliorum notitiam veniat, iis emolument-
tum aliquod spirituale adferre non possit. Hoc autem
usitatissima in Ecclesiâ phrasi, dicitur, *Ædificare proximi*:
ad proximi Ædificationem conferre: facere, quod
Ædificet. Et jam trito vocabulo, præsertim inter viros
religiosos, & Scriptores Ecclesiasticos, *ÆDIFICATIO*
valet idem, quod bona ac religiosa conuersatio: &, lo-
qui verbum Ædificationis, aut facere quidpiam ad Æ-
dificationem, significat, ad aliorum utilitatem spiritua-
lem, dicere, aut agere, quod est proprium Architecti
Christiani Moralis; ut hujus operis initio, integro Ser-
mone est demonstratum.

Primæ Partis.



ARTI-

ARTICULUS II.

*Quod-nam sit, & Quomodo construatur Ædificium
Adoptivum.*

QUINTUM Architecti Tropologici Ædificium no-
mino ADOPTIVUM. Denominationis hæc est ra-
tio. Quamuis *Adopto*, unde *Adoptatio*, & *Adoptio*, prima-
riâ significatione ad filium referatur: nam est idem, ac,
in filii locum adscisco, seu filium facio; tamen ad alia
quoque transfertur. Quomodo dicitur quis adoptare
aliquem in suam salutem: adoptare defenforem: adop-
tare sibi nomen, nempe, alterius nomen adsumere, seu
participem facere: eadem analogiâ, dici potest, adop-
tare alterius Ædificium; in illud, ut in suum, se inferere,
nulla possessoris injuriâ, ac proinde illius bona venia.
Est itaque Ædificium *Adoptivum*, aut, si mauis, *Adoptatum*,
Virtutum uniuersitas, quæ aliorum operâ ac sudore, in
Palatii, aut Domus sapientiæ formam composita, no-
bis etiam ad inhabitandum animo seruit, ac si pro-
prium esset Domicilium, si caritatis adfectus, proximo
de virtutum profectu gratulemur, illasque non secus ac
nostras ad DEUM, ex eius amore referamus. Quò facit
illud S. Augustini (a) superius allatum: *Fit per caritatem,*
ut quod habent singuli, commune sit omnibus: Sic enim quisque
etiam ipse habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Et
istud S. Gregorii (b): *Tanta vis amoris in illa pace (cælo-*
rum regno) nos sociat, ut quod in se quisque non accepit, hoc
se accepisse in alio exultet. Est enim in Ecclesiâ Catholicâ,
Sanctorum Communio, ut ex symbolo Apostolorum

(a) S. Aug. de mansionib. multis, Lib. III. Ser. III. (b) Lib.
IV. Mor. cap. 31.

docemur. Ex quo sequitur, quod qui in illâ degunt, veluti vnius corporis membra se inuicem iuuent, mutuis officiis, meritis, orationibus, quorum omnes possunt esse participes. Quare & Ædificat sibi fideles iusti, & Ædificantur ab aliis, phrasi in sacris Litteris vsitata. Sic Sara dicebat Abrahamo de Agar Ægyptia, *fortè Ædificabor ex ea*, Genesis xvi. id est, fortè liberos suscipiam, quos ego mihi adoptabo, ac sic meos faciam. Et Genesis xxx. *Vt Ædificer ex ea*, aiebat Rachel: quod vulgatus Interpres vertit, *habeam ex illâ filios*, quos mihi adoptem. Hoc Ædificandi modo lucrosissimo, quicquid aliorum opera extruitur, laborantibus iis siue verbo siue factis, nostris possessionibus accedit.

At quæ hæc sunt quinque illa Ædificia, quæ Architecto Christiano esse debent veluti obiecta. vel opera, circa quæ versari deberent indefinenter Artium ac Scientiarum cultores: est enim verissimè pronünciatum à Seraphico Doctore Bonauentura, *Opusc. de reductione artium ad Theol. Fructus omnium Scientiarum est, vt in omnibus Ædificetur fides, honorificetur DEUS, componantur mores.* Quos illi componunt optime, qui moralium non contenti virtutum fabricâ, Christianarum illi structuram adiungunt, cui Exemplarem quoque, & Adoptatam Domum copulant: ac quotidie cæleste sibi Palatium indefesso studio perficere conantur: memores, se non iam hospites & advenas esse, sed cives Sanctorum, & domesticos DEI, *superadificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide CHRISTO JESU, in quo omnis Ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coadificamini in habitaculum DEI in Spiritu, cui semper Latus, Honor, & Gloria.*



NOTÆ.

§. *DOMUS non manufacta,*] Consolatur fideles Paulus cælestis Domus contemplatione. q. d. non conturbet vos, quod corpus terrenum, in quo tanquam in tabernaculo, ad tempus degimus dissoluatur; quia scimus nos habere firmum *Ædificium*, non manufactum, & æternum ex DEO in cælis. Domum terrestrem quam & Tabernaculum vocat, ob temporariam mansionem opponit *Ædificationi*, id est, firmo *Ædificio*, & Domui *Æternæ* non manufactæ. Vbi per *Domum Æternam* videtur intelligi Mansionem cælestem, vel Gloriam illam & claritatem, in quam veluti in Domum lucidissimam ingredientur iusti: nam paulo ante videtur hanc Domum appellasse æternum Gloriæ pondus. Itaque significat, statim dissolutâ Domo terrestri homines in hanc Domum Gloriæ ingredi. Ad quod facit, quod Apostolus dicitur habemus, quasi statim dissoluto corpore habeatur, nec sit diutius expectandum, sicut in Testamento Veteri. *Leonar. Lessius de summo Bonolib. 3. cap. 1. Hæc, inquit, expositio est probabilis eamq; sequitur S. Anselmus, Lyranus, S. Thomas, & alii.*

VERUM probabilius est, per *Domum Æternam*, intelligi corpus immortale & gloriosum. I. Quia hoc magis pertinebat ad propositum: hortatur enim fideles ad mortificationem carnis & tolerantiam passionis corporalis, consideratione Corporis immortalis & gloriosi, quod ipsis in cælo à DEO est præparatum. Nec obstat verbum, (*habemus*) in præsentis, quia habemus in præparatione diuina suo tempore re ipsa nobis donandum. II. Quia hæc duo aptius inter se respondent: Videlicet, Corpus terrestre in quo, velut tabernaculo, ad breue tempus degimus, & Corpus cæleste in quo, tanquam firmo *Ædificio* æternum manebimus. III. Quia est magis consentaneum versiculis proximè sequentibus, in quibus manifestè loquitur de gloria corporis, seu Corpore glorioso. Hunc sensum amplectuntur *Chrysost. Ambrosius Theophrast. Theodoretus, Vasquez, Pineda, Cornelius, legendus Bellarminus* lib. de beatitud.

PARADISUS,] Gloria æterna dicitur etiam *Paradisus*. Lucæ XXIII. Hodie mecum eris in *Paradiso*, id est, gloria & gaudii regni cælestis, vt passim exponunt PP. *Cyrillus cateches. 13. Chry*

sof. ho
ibi Par
rum, v
amoren
nem ha
rum Do
Mens e
August
chrum.
ait esse
DEI,
Legant
radiso,
metam
§. Ai
dus Ba
Apostolo
sunt, qu
lam in v
qui e
m

sof. hom. i. de Cruce & Larrone Ambr. in Luc. Sumitur autem ibi Paradisus, non pro loco corporeo, sed, vel pro Gloria Beatorum, vel pro DEO in quo omnes Mentis beatæ, per visionem & amorem habitant, atque ineffabilem suauitatem, ac delectationem hauriunt. Dæus enim est optimum & suauissimum Beatorum Domicilium, ipse illis locus, Paradisus, Mundus, omnia. Mens enim magis est ubi amat, quàm ubi animat, vt loquitur Augustinus: & Intelligentiæ, ac amoris locus, est bonum & pulchrum. Idem S. Aug. lib. xii. de Genesi, cap. 29. Visionem DEI ait esse Paradisum, in quem raptus fuerit Paulus. cap. 34. Verbum DEI, in quo est læticia Beatorum esse Paradisum Paradisorum. Legantur Maldonatus, & Cornelius in Euang. Bellarminus de Paradiso, Lessius lib. 3. de Beatit. cap. i. Theophilus Raynaudus de metamorphosi Latronis cap. x.

§. ABDIAS,] Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis: *Abdias Babylonius, unus ex Discipulis Domini fuisse dicitur: Sed Vita Apostolorum, qua sub nomine eius circumferuntur, fabulis similes sunt, quàm vera narrationi. Sed neque eius Abdias, aut libri eius vltam in veteribus mentionem inuenio. Vfus tamen sum eius libro, qui est in manibus, in quo verum, & historicum est, S. Thomam profectum ad Indos, homines ad fidem conuertendi, & ad cælestem patriam transmittendi gratiâ. Cetera accipiantur, vt allegoricè scripta.*

